



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CCLXV. Ioannis Papae VIII. Ad Athanasivm Episcopvm Neapolitanvm. Arguit eum, quod non fregerit foedus, quod cum Sarracenis fecerat, cum promiserit illud rumpere. ostendit multa mala eius ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

libet ordinis clericorum eiusdem sanctæ Mediolanensis ecclesiæ, nec aliarum ecclesiarum, neque alicui magnæ parvæque personæ, cuiuscumque honoris præditæ dignitate esse licitum, pro tuæ laudabilis deuotionis affectu, & pro tuæ fidei sinceritate, atque caritatis certamine, quod pro ipsius ecclesiæ vtilitate nostris te diebus habuisse cognouimus, aliquam tibi quocumque modo, vel sub ecclesiasticarum rerum obtentu, inferre calumniam, aut his præfatis, quæ pro tui digni laboris merito retines beneficiis, & patrimoniis, vel a quibus propriis rebus mobilibus priuare: sed diebus vitæ tuæ, secundum auctoritatis nostræ decretum, pro amore Dei, & mercede animæ nostræ, tuæque fidelitate, quam tuæ te nouimus habere ecclesiæ, liceat tibi sub apostolicæ sedis, successorumque nostrorum tutamine, cum propriis beneficiis, & cum omnibus tuis hominibus vtriusque ordinis, manere quietum, atque securum. Porro quicumque contra hoc nostrum statutum, temerario ausu agere, teque pro huiusmodi negotio calumniare præsumpserit, omnium ecclesiastica iudicamus communionem carere, quousque per congruam satisfactionem, in nostra successorumque nostrorum præsentia, quod perperam læserat, emendare curauerit. Et ideo nostra etiam apostolica auctoritate præcipimus, te nunquam cuiuslibet episcopi, vel sacerdotis subiacere iudicio, quousque in nostram, vel successorum nostrorum libere, ac securiter sine alicuius obstaculo, vel impedimento præsentiam venias. Data vt supra.

EPISTOLA CCLXV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ATHANASIVM EPISCOPVM NEAPOLITANVM.

Arguit eum, quod non fregerit fœdus, quod cum Sarracenis fecerat, cum promiserit illud rumpere. ostendit multa mala eius causâ a Sarracenis, Christianis fuisse inflicta. minatur illi excommunicationem nisi fœdus illud rumpat.

Athanasio episcopo Neapolitano.

IAM quia te lactantium, & ab ipsis cunabulis educantium sanctæ matris tuæ Romanæ ecclesiæ oblitus es vberum;

vel nostræ beneuolentiæ non debueras obliuisci : quam tibi paternaliter exhibentes, & salutis tuæ consula præuidimus, & in temporalibus commodis iuxta qualitatem temporis, præsidia quæque contulimus. Et quoniam cooperatorem nostrum in his, quæ Dei sunt, te habere volumus; nimisque tuam sanctimoniam diligimus, monemus vt vel nunc ad cor redeas; vt praua quæque iuxta tuum ministerium diluas, & inimicorum Christianorum nominis fœdus execrando deuites: quatenus & animæ tuæ lucrum acquiras, & nostris magis ac magis affectibus perfrui valeas, & blasphemis ac maledictionibus reliquiarum populi Christiani, diuinitate propitia careas. Memento quæso quid es; memento, quid, si non resipueris, eris; & iudiciorum Domini memor esto, ne pro tantis Deo rationem reddere cogaris, quanti per tuam desidiam interempti sunt, & captiui ducti diuersis mortibus perierunt. De quorum crudelitate quid dicere possumus? Cum tanta hinc stenda sint & lugenda, vt si scribere velimus, & lacrymarum riuiuli crescent, & primum charta quam verba deficient. Denique apud Caietam olim nobis necessario constitutis, legati tui promiserant, vt intra spatium viginti dierum, non solum cum Agarenis habitum pactum dissolueres; verum etiam Sarracenos caperes, & nobis eos transmitteres: sed ecce, quod promissum est, fide hæctenus caruit, & omnium sponsonum tuarum dicta cassata sunt, & vt apparet, frustrata. Vnde, sicut diximus, cesset iam, cesset hæc immanissima pestis, vt reliquiæ Christianæ funditus non depereant, & tu animæ tuæ dispendia non incurras: quia si populo Dei compassus fueris, & Deum tibi propitium facies, & nostram paternitatem solito more percipies, & ministerium tuum custodies: alioquin non solum nostra tibi non dimittemus, sed etiam canonicam in te sententiam iuxta nostrum ministerium iaciemus. Sed & hoc nostri apostolatus auctoritate monemus, & excommunicando modis omnibus interdiciamus, vt quia *ecce tempus acceptabile est, ecce nunc dies salutis*, nullam seditionem, nullam commotionem, nulla discrimina, vel læsionem cum his, qui in Berolassi commorantur, aut facias aut facientibus omnino consentias: quatenus pacem sectando, ab omni nequitia purgatus, munus Deo immaculatum offeras, &

1. Cor. 6.

caritatem Dei in tuo vase diffusam cohabitare permittas: quia nos, quibus de omnibus cura est, Deo iuuante, congruenter illuc properabimus, & inter vos, te potissimum cooperante, pacem & amicitiam reformabimus. Data pridie Idus Martii, indiçtione decimaquarta.

EPISTOLA CCLXVI.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ADELCHISIVM EPISCOPVM TRIDENTINVM.

Arguit eum quod bona Veronensis episcopi inuaserit. eius causam quibusdam episcopis se commississe significat. monet vt eorum acquiescat sententiæ.

Adelchisio episcopo Tridentino.

SVGGERENTE coepiscopo nostro Adelardo Veronensi episcopo didicimus, sanctitatē tuam aliter egisse quam se canonica, imo Christiana obseruantia habere videtur. Quia scilicet contempto præcedentium patrum iudicio, cui ipse interfuisse dignosceris, res quasdam ad sanctam Veronensem ecclesiam pertinentes inuasisse diceris; & contra manus tuæ subscriptionem te egisse quodammodo suspicaris: in quarum diffinitione, si sedis apostolicæ legati non interessent, speraremus adhuc posse nos aliorum certificari super hoc attestationibus. Sed quia hoc non esse opportunum præuidimus, Ioanni Bononiensi, Egilulfo Mantuano, Eicardo Vicentino, & Viatori Ferrariensi venerabilibus episcopis, ad hoc secundum Deum prouidendum, & quantum ad contemptum inobedientium pertinet, rursum diffiniendum, vicem nostram super hac quæstione commisimus; vt in id ipsum conuenientes, hoc litigium cum sanctitate tua determinent; & irreprehensibiliter, Deo præ oculis habito, diffinire procurent. Quapropter fraterno te amore monemus vt in hoc ita peragas, quatenus a nobis merito reprehendi non possis, & canonicam sententiam non excipias: verumtamen ad locum, quem prædicti venerabiles episcopi tibi significauerint, occurrere non omittas. Et de eisdem rebus Asianæ villæ respondeas, vt ex hoc iam nulla quæstio prorsus remaneat, vel renascatur. Data vt supra.

EPI-